




s. 371



*Animadversiones in Caput III. Garcia ab Ort. quod inscribitur de Al-
tibr, seu Assa fetrida, Iayanis ac
Malais Hin' dicta.*

Quoniam precedentia duo Ca-
pita abunde & sufficienter de
ambaro ac aloë egerunt, ego,
quod in ea commentaret non
habui: sed quia auctor hoc cap. ne-
gat non solum se vidisse hanc herbam,
sed nil certi de ejus forma adfert; ego
quæ de assa fetridâ planius comperta
habeo hic vobis adfero.

Itaque planta è cujus radice assa ex-
primitur magna quantitate crescit in
imperio Persico, inter Laram ac Gama-
ron civitates, quarum prima non longè
distat à mari, ac nostris mercatoribus
ac Anglis etiam frequentatur. Estque
hæc planta duorum generum, prima
sumentosa est, serme ut Salix aquati-
ca, ex ejus foliis ac stolonibus incisis
assa fetrida per Torcular exprimitur,
quæ, ut reliqui succi, sole indurata in
consistentiam evadit, qualis est aloës.

nacibus in hunc usum efficiendis imponunt, ac per ignem exsiccata omni aqua, dein terra hac calcinata lateribus prædictarum ollarum, demptis sordibus quæ in fundo hærent, tutiam lateribus affixam abradunt, quam arcis inclusam venalem ferunt per totam Indiam, ejus enim usus est in depilatoriis apud hæc gentes, præsertim feminis, dum se in balneis, vel fluviis lavant.

In Persiæ autem Provinciâ Kirmon dicta hujus terræ argillaceæ ex qua tutia coquitur, à Persis ac Armeniis mercatoribus qui negotiandi causâ huc advehuntur, magnam copiam reperiri non semel audiivi, qui etiam ut lucrum ex Tutya, quam Persica lingua Tutyah vocant uberius faciant, eâ distribuunt in lapidem Tutyah ac in pulverem ejus magis vilem, quam seorsim volentibus tum divendunt.

IN CAP. XIII.

De Ebore ubi quadam sciu non injucunda de Rhinoceroe. fol. 49.

Paragrapho 10. Author fatetur se Rhinocerotem nunquam vidisse, ast ego

ego eum non tantum centies cavere inclusum vidi : sed & in sylvis vagantem. Cute è nigra est cinericea, instar Elephantinæ, rugosa admodum, cum profundis plicaturis circa latera ac in dorso : crassam admodum habet pellem, ut quæ ictui Japonicæ machære facile resistat. Neque enim hæc bestia (ut apud nos pingitur) levis munta est ; sed hæc plicatura hos clypeos mentiuntur neque una pars durior est altera. Rostro est porcino ; sed ante acutius neque tam obtuso, in ejus extremitate cornu istud extat unde nomen sortita est bellua, aliud altero majus pro ætate Rhinocerotis. Colore etiam cornu variat, modo nigrum, modo cinericeum, modo album est. Magnitudine autem corporis medioeris staturæ. Elephantem proxime accedit medioerem, nihil quod pedibus sit longe humilioribus & propterea tam conspicuum etiam non est animal. Ceterum innoxiam est, nisi lacessitum neque crudivorum est ut Tygris ; sed herbis vescitur ac virgultis, usque perquam spinosis, nam linguam (ut infra dicetur) habet asperrimam : sed si irritetur hominem simul, ac equum tanquam pulicem proster-

prosternit, quem dein lambendo necat, dum asperitate linguæ cute ac carne usque ad ossa hominem denudat. Carnibus ejus Mauri vescuntur : sed nervosa plane est, ac ferratos *Plauti* dentes postulat. Ut porro ferocitatis hujus exemplum habeatis attendite. Vir mihi notissimus ac familiaris retulit, se duobus aliis comitatum in sylvas expansarum equitem ivisse, ac reperisse Rhinocerotem femellam cum catulo suo in luto se volutantem ; nam hoc animal æque, ac sues & apri cæno mirifice gaudet, bellua ipsis vilis assurgit ac lento passu recedens pullum suum præ se rostris trudens agebat. Unde unus ex tribus temerarie læcis feram insequitur, ac exerta quam ferebat machæra Japonicâ belluæ nates ac tergum ferit, nullo sequente sanguinis fluxu, veruntamen dissecta aliqua ex parte cute, stricæ lætæ ac albæ apparebant, quod patienter bestia ferebat, donec sylvæ appropinquans, catulum suum virgultis ac carectis occulisset ; tum vero retro conversa ac horrendum grunniens, equitem nostrum invadit : sed bonis avibus equus perterritus retro salit, sed Rhinoceros tamen femoralia equitis mordi-

mordicus apprehendit, & quia è serico materia levisima confecta erant discerpfit, ac noster se in fugam, quantum potest, dat insequente eum acriter Rhinocerote : ipso perveniente ad derelictos socios, qui impetum belluæ declinantes, post duas ingentes arbores, vix duos pedes latos à se invicè distantes, se sliterant : sed bestia furore correpta, priore equite relicto in duos pedites, nam equos ligatis pedibus passum dimiserant: sed seu ingenito ipsi stupore, seu furore impedita viam inter duas istas arbores omni vi quærebat, quas quidem horribiliter tremere faciebat : sed vim ejus crassities ipsarum insignis impediebat, tantisper donec ipsis daretur tempus sclopeta sua expediendi ac sese colligendi è metu, tum belluam iteratis ictibus in fronte feriunt per cerebrum, quam collapsam mox Mauri servi, qui lignatum in sylvas abierant ac ab equite periculi admoniti erant, securibus ac dolonibus & lanceis interfecere, sociis non parum maledictis in equitem se invehentibus, non sine reliquiis ingentis terroris, ac sic fortissimæ belluæ ferociam evasere : nam hoc animal si sclo-

pecto,

peto læsum, aliquando per sylvas fugit, quicquid obvium est cum summo fragore, ac horrore audientium prostermit, etiam satis crassas arbores, sed hæc de Rhinocetore sufficiant. Quicquid porro de Elephanti docilitate dicitur verum est: ac desino si prius *Plinii*, ac *Æliani* errores detextero, qui inflexiles pedes, & crura sine flexuris Elephantos habere scribunt, quod adeo falsum est: nam præterquam quod hominibus tantum circa crura, ac femora articulationes sint, Elephantibus præterea flexuræ in medio tibiæ sunt. Proboscide porro (ut bene *Plinius*) tanquam manu utitur in cibo capiendo, ac ea tanquam manu in os ingerit:

IN C A P. XVI.

*De Agallocho seu ligno Aloës, Calam-
hoc Inuis ditto. fol. 64.*

Lignum aloës præterquam quod in Insula Sumatra, directo in conspectu Javæ sita, nascatur: etiam frequens oritur, ac optimum in Champac vicina Chinæ regno regione, & in Cochinchina. Ac quod cortice nudatum hinc in patriam feratur, non ideo evenit, quod
sive